



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorum Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia**

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

**Parisiis, 1644**

XXXII. De ecclesia a compluribus coheredibus obsessa.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15967**

verba , & diffinitionem pacatissimæ Synodi , in-  
uentus fuerit furtum aut rapinam exercere , & in  
ipso diabolico actu mortem mereatur incurrire ;  
nullus pro eo præsumat orare , aut eleemosynam  
dare. Et eleemosyna pro eo data , in memoriam  
clericorum nec pauperum veniat , sed execrabilis  
fordescat. Beatus Augustinus de talibus horribilem  
profert sententiam , dicens : Nemo te post mor-  
tem tuam fideliter redimit , quia tu te redimere  
noluisti. Si autem ille fur vel latro vulneratus elab-  
itur , & expectatione mortis desperatus putatur,  
atque reconciliari se mysteriis sacrosanctis , habi-  
tu corporis & voluntate piæ mentis deprecatur ,  
Deoque & sacerdoti , comite vita , emendationem  
morum & actuum confitetur , communionis gra-  
tiam non negamus tribuendam. In Nicæno ma-  
gno Concilio statutum legimus : Si quis egredi-  
tur e corpore , vltimo & necessario viatico mini-  
me priuetur , &c. Item de vltima pœnitentia , in  
epistola Innocentii papæ , capite vigesimoprimo :  
Tribuitur ergo cum pœnitentia extrema commu-  
nio , vt homines huiusmodi vel in supremis suis , per-  
mittente Saluatore nostro , a perpetuo liberentur  
exitio. Item de eodem , in Carthaginensi septimo ,  
& Cælestini decimoquinto ubi ait : Quid , rogo ,  
aliud est , vltimam pœnitentiam negare periclitanti-  
ti , quam mortem addere morienti ?

## XXXII.

Coheredes  
qui ius ha-  
beant pa-  
tronatus.

Quæcumque ecclesia a compluribus coheredi-  
bus sit obfessa , concordi vnanimitate vndique pro-  
curetur , ne propter aliquas disceptationes serui-

ANNO CHRISTI 895. tium Dei minuatur , & cura populi irreligiose agatur. Si vero contingat pro ea participes disfidere , & sub vno presbytero nolle eam procurare , & propterea iurgia & contentiones tam inter ipsos , quam inter clericos incipient frequentare, quia iuxta Apostolum seruos Dei non oportet liti <sup>2. Tim. 2.</sup> gare , episcopus tollat inde reliquias , & sub magna cura honorifice collocet eas, atque eiusdem ecclesiæ claudat ostia , & sub sigillo consignet ea , vt sacram ministerium nullus celebret in ea , antequam concordi vnanimitate vnum omnes eligant presbyterum , qui idoneus sit sacrosanctum locum procurare , & populo Dei utiliter præesse. Hanc autem habeant auctoritatem episcopi , vt in nullis ecclesiis nec constituantur presbyteri , nec expellantur illis inconsultis & non consentientibus. In epistola beati papæ Clementis legitur: Attendendum summopere est omnibus presbyteris & reliquis clericis, vt nihil absque episcopi proprii licentia agant , non utique Missas sine eius iussu quisquam presbyterorum in sua parochia agat. Similiter & reliqui populi , maiores scilicet & minores , per eius licentiam, quidquid agendum est, agant. Animæ vero eorum ei creditæ sunt : ideo omnia eius consilio agere debent , & eo inconsulto nihil.

## XXXIII.

In Nicæno sancto & vniuersali Concilio statutum est, capite primo: Ut si quis a medicis per languorem defectus est, aut a barbaris abscisus , hic in clero permaneat. In epistola Innocentii papæ , capite vigesimo octavo : **Qui igitur volens cuiuslibet**

*Concil. Tom. 24.*

Oooo ij